+

Celsissime Princeps
Domine, Domine Benignissime

Sub ipsum Comitiolorum nostrorum de Lege initio Februarij haberi solitorum, venerunt ad Palatinatū Nostrum Milites, qui se dicunt quidem esse Sacræ Regiæ Maiestatis sub Generalissima Suæ Celsitudinis potestate, nullum tamen Ordinationis suæ huc instrumentum vel à Serenissimo vel à Sua Celsitudine, habent, sed ab aliquo ex Officialibus Exercitûs, prætendunt deberi sibi portiones imprimis ex Oeconomia, Capitaneatibus, alijsq; bonis Regalibus, ex quibus iuxta Statutum Reipublicæ, in Militem MDLa noviter erectum, pensiones debent dari. Præterea occupârunt bona Collegij Polocensis, quæ nullis in Militem pensionibus, vel quibuscunq; oneribus, subsunt, quia sunt terrestria æquè atq; alia nobilium hereditaria. Id ex Constitutione Comitiorum Varsaviensium, proximè præteritorum, ac Commissione iussu Sere-

nissimi, totiusq; Reipublicae peracta, liquet.
Ego pro munere Directionis meae, quo in ipsis
Comitiolis fungebar, adii cum frequentia
Magnatum ac Nobilitatis Majorem horum
Militum Dnum Bencken, egiq; cum illo,
ut cum suo milite excederet dictis bonis,
nec vim Legibus nostris inferret. Prae-
sentata jura, Constitutiones & recentissi-
mum Privilegium praefato Collegio a Se-
renissimo datum, recognitivum immunita-
tis illius, bonorum, Leges & Statuta
Reipublicae exhibita, in quibus nominatim
specificantur praefata Collegii bona exempta
ab omnibus oneribus militaribus tanquam
terrestria. Non effeci; praesensq; mecum
Palatinatus istius Nobilitas, ut alio se prae-
fatus Dnus Major verteret vi etiam, qua
vim contrariam Nobilitas volebat retundere,

agendum non censui; sed Suae Celsitudini, tanquam
Supremo Exercituum Sacrae Regiae Majestatis
Generalissimo deferendum, putaui. Cui, Nomine
Palatinatus mei omni veneratione delata, com-
mune hoc postulatum affero quatenus Auctoritate
Sua velit hosce homines alio amouere, qui iussu
proprio alicuius Officialis Exercitus, nulla à
Sua Celsitudine nota exhibita, huc venerunt,
nihilominus ad Supremum eiusdem regimen se
referunt. Gratiam hanc Suae Celsitudini totus
Palatinatus noster prompto obsequio redhibiturum
se appromittit. Pro qua quam primum
benigne praestanda dum hasce communi voto
Suae Celsitudini porrigo, maneo.

Celsitudinis Vestrae

Obsequentissimus Servus
Christophorus Benedictus
Nesmiwany Szczyt Vexillifer
Polonensis Capitaneus Jas-
raonensis Director Comitiorum

Polonae 8. Februarij
1707.